



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 3. De Voluntario Libero comparato cum Necessario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

parentiæ, ex hac ratione sæpè tollunt, aut minuunt voluntarium, & plerumque causant involuntarium, simulque violentum, coactum, molestum, invirum. Concupiscentia etiam sæpè sopit, & absorbet cognitionem; ignorantia verò eam tollit, & hoc modo reddunt operationem aut non voluntariam, aut minus voluntariam, aut involuntariam, juxta contrarium voluntatis affectum ab illis causis laborum. Exinde.

47. Fit 2. Effectum non esse involuntarium, si voluntas illum eliciat, & inducat ex motivo earum causarum, nulla elicita contraria nolitione. Sic quandoque ex motivo metus potest juxta conformitatem cum illo motivo voluntas operari, nullum contrarium actum eliciendo; & tunc effectus erit omnino voluntarius, & nullatenus involuntarius ex dictis à n. 399. De Virtut. Pœnit. Ratio est, quia, quando datur motivum metus, libertatem non everrens, potest homo operari vel contra, vel juxta motivum metus, vel potest elicere actum efficacem ex eo motivo, & inefficacem ex altero. Si solum eliciat actum efficacem juxta motivum metus, nullum inefficacem actum contrarium eliciendo ex alio motivo, tunc operatur pure voluntarie ex metu, sive juxta motivum metus, absque ulla mixtione involuntarii, ut constat ex eodem numero. Sic æger jubetur metu mortis comedere carnes die

Venetis, easque comedit, ut mortem fugiat: quo in casu talis volitio comedendi carnes, non conjuncta cum ulla inefficaci contraria nolitione, est pure voluntaria, & nihil habet immixtum ex involuntario. Unde solum poterit esse involuntaria, quando illi volitioni efficaci comedendi carnes, conjungeretur nolitio inefficax eas comedendi, à qua denominaretur comestio involuntaria secundum quid, quantumvis esset simpliciter voluntaria ex dictis à n. 31.

Fit 3. Ad involuntarium secundum quid non sufficere, quod actus procedat minus intentus, quam procederet, si non darentur alia motiva, dummodo nulla detur nolitio contraria illi volitioni. Ratio est, quia minor intentio non sufficit ad involuntarietatem, cum nullo modo sit contraria actui, qui elicitur. Involuntarietas enim, ut constat ex dictis, requirit nolitionem contrariam: sic amor beatificus minus intentus, quo aliquis Bèatus Deum amat, nullam habet mixturam involuntarii, neque dici potest, quod ille Deum involuntarie amat: amat quidem Deum omnino voluntarie, ex eo præcisè, quod nullam habeat tunc nolitionem adhuc inefficacem, qua Deum nolit, aut noleret amare. Quapropter motiva, ex quibus haberi potest involuntarium, solum causant involuntarium, quando causant nolitionem objecti noliti: secus quando nullam causant nolitionem.

## DISPUTATIO III.

### DE VOLUNTARIO LIBERO COMPARATO CUM NECESSARIO.

49. Inter necessarium, & liberum datur hoc grande discrimen in ratione voluntarii: nimirum, quod plura sunt necessaria, quæ voluntaria non sunt, ut patet in frigiditate respectu aquæ, in calore respectu ignis, & in aliis effectibus, qui non procedunt à potentia appetitiva cum cognitione ex dictis num. 9. & 10. At nullum est liberum, quod in ea ratione, in qua liberum est, non sit etiam voluntarium; siquidem sub ea ratione, sub qua liberum est, est à voluntate cum præcognitione finis formalis. Quare si solum sit materialiter liberum, solum erit materialiter voluntarium; si verò sit formaliter liberum, erit quoque formaliter voluntarium. Exinde in exemplis appositis num. 11. v. g. Quando aliquis occidit hominem invincibiliter, atque omnino inculpabiliter ignorans esse Clericum, clericidium, utporè quæ tale incognitum, non est formaliter liberum, aut imputabile, cum voluntas non sit electiva respectu rei incognitæ, solumque est liberum materialiter, quatenus materia illius actus, seu illud homicidium revera est clericidium. Quamobrem solum est imputabile, & formaliter voluntarium quæ homicidium, non autem quæ

clericidium. Quærimus modò, si comparentur inter se, voluntarium, necessarium, & liberum, quodnam sit perfectius in ratione voluntarii, an necessarium, an liberum?

### SECTIO I.

*An voluntarium necessarium in ratione voluntarii sit perfectius libero?*

Supp. 1. Voluntarium secundum rationem voluntarii sumi posse dupliciter. 1. Essentialiter. 2. Quali quantitativè. Essentialiter sumptum significat præcisè prædicata essentialia voluntarii constitutiva, quo in sensu nullum est voluntarium perfectius alio: siquidem nullum est, quod non habeat prædicata essentialia voluntarii constitutiva: atque in ea ratione conveniat cum altero, præsertim in communi Nostrorù sententia admitte univocationem inter Deum, & creaturas. Voluntarium quali quantitativè sumptum superaddit essentia voluntarii aliquas alias perfectiones, seu quasi gradus in genere voluntarii: v. g. quod volitio sit intensa ut duo, vel ut quatuor, est quid accidentale, & logicè quantitativum in

in ratione voluntarii: unus quippe gradus intentionis sufficeret ad essentiam voluntarii, ac proinde ceteri gradus, licet sint de ratione voluntarii, dicuntur logicè, quasi per accidens, & quantitativè advenire essentiæ voluntarii. Patet animal perfectum, & imperfectum, nimirum homo, & talpa, æqualia sunt in essentiali ratione animalis, cum utrumque revera sit vivens, sentiens; at in ratione logicè accidentali, & quantitativa, sunt diversa, quia homo habet aliquam perfectionem de linea animalis, nimirum rationem vivivi; quæ non convenit talpæ.

51. Supp. 2. Ex duplici præsertim capite con-tingere posse, quòd aliquis actus sit necessarius. Primo ex imperfectione cognitionis, quo pacto motus primò primi, & indeliberati in homine, sunt necessarii. Secundò ex summa perfecti-  
one cognitionis, quæ repræsentat objectum, ut in se est; ex quo capite amor beatificus est neces-sarius, quia regulatur per visionem beatam Deum, ut in se est, clarè voluntati repræsen-tantem, à qua bonitate ita repræsentata volun-tas rapitur. Quamobrem actus necessarius dupliciter dici potest necessarius, secundum duplicem modum, quo datur actus procedens non liberè à sua causa. Exinde

52. Supp. 3. Actum posse esse necessarium prout procedit à sua causa necessitata, vel prout est à sua causa necessaria. Tunc à causa necessitata procedit, quando ab illa provenit vel citrà, vel contra illius inclinationem: sic si Deus ignem elevarè ad producendum citrà suam inclina-tionem lapidem, vel ad producendam contra suam inclinationem frigiditatem, lapis, aut frigiditas producta non conveniret necessariò igni, quia non esset effectus proveniens à necessaria, & intrinseca exigentia, seu inclinatione ignis, sed adveniret igni necessitato. Tunc effectus est à causa necessaria, quando provenit ab illa extrinsecis suis exigente effectum producerè, vel necessitari ad illum producendum: sic calor procedit ab igne, tamquam à causa necessaria ex intrinseca natura sua exigente illum producerè. Quamobrem inter utrumque istum effectum ad-est hoc grande discrimen, nimirum quòd primus non competit necessariò causæ, sed solum ad-venit causæ necessitatæ. Secundus verò non solum advenit causæ necessitatæ, sed etiam con-venit necessariò causæ. Exinde cum voluntas creata ex intrinsecis suis non exigat magis ope-rari necessariò, quàm liberè, operatio libera, aut necessaria non adveniet voluntati necessariò, sed operatio libera adveniet voluntati liberè, & ad utrumque indifferenti. Operatio ne-cessaria adveniet voluntati necessitatæ. His positis

53. Prima sententia docet, voluntarium liberum esse magis voluntarium, quàm voluntarium ne-cessarium. Ita Valquez, Salas, Oviedus, alii-que Recentiores. Secunda defendit, volunta-rium necessarium cæteris paribus excedere li-berum in ratione voluntarii. Ita Salmanticenses,

pluresque Thomistæ, quos sequitur M. Serra tom. 1. in 1. 2. quæst. 6. art. 2. Tertia sen-tentia distinguit, si voluntarium necessarium proveniat ex perfectiori objecti cognitione, eo quòd nihil mali sit in objecto repræsentabile, quòd possit ab illius amore retrahere, tunc vo-luntarium necessarium esse magis perfectum, quàm liberum in ratione voluntarii. Si verò proveniat necessitas ex advertentia ad malitiam in objecto latentem, tunc liberum esse magis per-fectum in ratione voluntarii, quàm necessarium. Ita Cardinal. de Lugo, Pallav. aliique Nost-ri, quos sequitur Gonettus disp. 1. de volun-tario art. 2.

54. Assero cum tertia sententia: Actus neces-sarius ex perfectione cognitionis cæteris paribus est magis voluntarius, quàm actus liber. Pro-batur 1. Amor beatificus, quo Beati necessariò amant Deum descendens à visione beatifica per-fectiori, quacumque alia cognitione viæ, est magis voluntarius, quàm quilibet alter amor li-ber in viâ; ergo actus ex perfectione cogniti-onis necessarius cæteris paribus est magis volun-tarius, quàm actus liber. Consequentia tenet: antecedens probatur. Amor beatificus, quo Beati Deum amant, est nobilior, & intensior quo-cumque actu viæ: tum etiam procedit ab in-trinseca, & vehementissima voluntatis inclina-tione ad objectum sibi propositum apparens absque ulla mixtione malitiæ unde quaque bo-num: sed in hoc stat, quòd sit magis volunta-rius, quàm quivis alter actus amoris viæ; er-go &c.

55. Confr. 1. In amore necessario, quem aliqui viatores S. S. aliquando eliciunt erga Deum ex intensissima divinæ bonitatis cognitione, qui quidem exsuperat omnes alios amores ab ipsis elicitos: sed hoc provenit ex majori perfecti-  
one cognitionis; ergo &c. Confr. 2. In ipso amore Dei; Deus quippe se ipsum necessariò amat, cognoscendo se ut bonum infinitum; creaturas verò liberè diligit, cognoscendo illas ut bonum finitum ex dictis à num. 748. & 752. de Deo: sed amor, quo Deus se ipsum diligit, est magis voluntarius, quàm amor, quo diligit crea-turas; est enim majus pondus in Deum, quàm in creaturas, juxta illud Augustini in Confess. *Amor meus pondus meum; amore feror, quo-cumque feror; ergo &c.* Confr. 3. Amor, quo Pater & Filius se, & Spiritum Sanctum a-mant; atque se amando Spiritum Sanctum pro-ducunt, est necessarius: amor verò, quo diligit Deus creaturas, easque diligendo producit, non est necessarius, sed liber: atqui amor, quo Pa-ter, & Filius se, & Spiritum Sanctum amant, est magis perfectus in ratione voluntarii, quàm amor, quo diligunt creaturas; ergo &c.

56. Resp. ex Valquez amorem, quo Deus se ip-sum amat, atque se amandò producit Spiritum Sanctum excedere amorem, quo Deus diligit creaturas non quidem in ratione voluntarii, sed ex parte objecti; quia scilicet Deus amat se ipsum, ut habet omnimodam rationem boni: creatu-

creaturas verò ut bonum aliquod finitum, particulare, & indifferens. Contrà tamen primò. Perfectio amoris sumitur ex pondere, & habitudine intrinseca, quæ voluntas fertur ad objectum ex August. citato num. super. Atqui repugnat, quòd aliquis actus sit perfectior in ratione ponderis, & habitudinis intrinsecæ, quæ voluntas fertur in objectum, quin sit perfectior in ratione voluntarii, ut ex num. 50. ergo &c. Contrà 2. Amor, quo Pater, & Filius se, & Spiritum Sanctum amant, ut pote necessarius voluntati divinæ, atque ex toto voluntatis affectu est magis ab intrinseco cum cognitione, quàm amor, quo Deus creaturas producit, eas liberè, & juxta ipsarum limitationem amando: atqui repugnat, quòd sit ex majori voluntatis affectu, magisque ab intrinseco, quin sit perfectior in ratione voluntarii; ergo &c.

57. Prob. 2. Ex Aristotile 3. Eth. c. 1. tex. 23. ubi contraponit voluntarium, & invitum, quatenus invitum non est, quod oportet appetere; ait enim: *Absurdum fortasse etiam est, invitum ea esse dicere, quæ oportet appetere*; ergo quo aliquid magis perfecte cognoscitur esse tale, quòd oporteat illud appetere, eò magis voluntariè potentia appetitiva operans quantum potest, tendit in illud: atqui quando bonitas alicujus objecti ex perfectiori cognitione necessitat ad illud amandum, tunc ex ratione perfectioris cognitionis proponitur objectum magis dignum, quod appetatur, quàm proponatur per cognitionem relinquentem indifferenciam ad illud amandum, vel odio habendum; ergo voluntarium necessarium ex perfectione cognitionis, cæteris paribus est magis voluntarium, quàm liberum. Confir. In creatura rationali libertas & necessitas servata proportione, cæterisque paribus, sunt originatæ, & exemplificatæ à libertate, & necessitate divina: atqui in divinis actus amoris necessarii, quibus Deus se amat cognoscendo se ut bonum infinitum, sunt magis voluntarii, quàm actus amoris liberi, quibus amat creaturas cognoscendo illas ut bonum finitum; ergo etiam in creaturis amor necessarius ex perfectione cognitionis, cæteris paribus erit magis voluntarius, quàm liber.

58. Dices. Perfectionem voluntarii non meriri ex perfectione cujuscumque cognitionis, sed solum ex perfectione illius cognitionis, quæ est radix voluntarii. Hæc autem, ait Vasquez, non est cognitio necessaria, sed indifferens, seu apprehendens objectum sub indifferencia boni, & mali. Contrà tamen 1. Ad voluntarium perfectum non requiritur libertas, neque cognitio proponens objectum indifferens, sed sufficit præcognitio finis formalis, ut constat ex D. Thoma citato num. 12. & 28. ergo cognitio, quæ est radix voluntarii perfecti non debet esse indifferens ab bonum & malum, sive ad amorem, & odium. Contrà 2. Deus perfecte voluntariè se ipsum necessariò amat; quin sit ullo modo indifferens ad se amandum, & odio habendum; ergo ad perfectum voluntarium non requiritur

cognitio indifferens ad amorem, & odium: atque adeò talis cognitio non debet esse indispensabiliter radix perfecti voluntarii. Contrà 3. Eatenus requiritur cognitio ad perfectum voluntarium, quatenus tollit ignorantiam finis formalis: sed ad tollendam eam ignorantiam non requiritur cognitio indifferens, ut patet in Deo, & Beatis, atque in pluribus viatoribus, ut constat ex num. 55. ergo &c. Ex dictis

Fit 1. Juxta communiorem sententiam docentem, creaturam rationalem ex perfectione cognitionis dumtaxat posse necessitari ad amandam bonitatem increatam, cum in ea sola, tamquam in centro quiescat, sive consideretur ut habitura beatitudinem naturalem ex dictis à num. 105. sive ut habitura supernaturalem beatitudinem ex dictis à num. 191. de beatitudine. Dicendum pariter esse voluntarium necessarium perfectius in ratione voluntarii ex perfectione cognitionis, quàm voluntarium liberum, solum dari cæteris paribus in amore, quo creatura Deum diligit, aut Deus se ipsum amat. Quamobrem cum creatura ex tali perfectione cognitionis necessitata ad Deum diligendum ipsum diligit, quantum potest, tum intensivè, tum extensivè, quoad prædicata attributa, sive formalitates præcognitas, exinde talis amor erit in ratione voluntarii perfectior quocumque alio actu libero creaturæ erga idem objectum, prævia cognitione se ad eadem prædicata & formalitates extendente. Quæ de causa diximus in assertione *cæteris paribus*; Nam si cognitio constitutiva libertatis proponeret plura prædicata, quàm cognitio necessitans ad amorem, quavis amor necessarius in eo casu esset major intensivè in ratione voluntarii, quàm amor liber, esset nihilominus minor extensivè in ratione voluntarii, siquidem ratio voluntarii non datur respectivè ad formalitates incognitas, ut constat à num. 11. Quæ quidem doctrina adaptanda est aliis similibus circumstantiis, ratione quarum cætera non sunt paria.

Fit 2. Respectivè ad bonitatem creatam, circa quam ex perfectione cognitionis ex dictis num. super. necessitari nequit creata voluntas, amorem liberum cæteris paribus esse perfectiorem in ratione voluntarii, quàm necessarium. Ratio est, quia respectu talis bonitatis principia necessitantis voluntatem, quantum afferunt ratione sui majus pondus in objectum, eò minus cæteris paribus dicitur actus procedere ex intrinseco voluntatis, & magis procedere ab extrinseco necessitante, vel ab ignorantia de malitia latente in objecto: atqui actus, qui minus procedit ab intrinseco cæteris paribus, est minus perfectus in ratione voluntarii; ergo &c. Rursus indifferencia, & potentia expedita voluntatis ad amorem, & odium, aut omissionem, sive nolationem amoris, aut odii dicit aliquid, quo superadditur specialis modus procedendi à voluntate; nimirum ex determinatione ipsius voluntatis à se ipsa vincens in inclinationem oppositam,

positam, ne omittat actum: atqui ita procedere à voluntate, cæteris paribus est procedere à voluntate magis intrinsecè, seu magis à sua ipsius determinatione, ac proinde magis perfectè in ratione voluntarii; ergo &c.

61. Fit 3. Hanc formalitatem actus liberi procedendi ab intrinsecò ratione determinationis liberæ voluntatis, nequaquam æquivalere conatui voluntatis, quo elicit actum necessarium erga Deum ex perfectione cognitionis. Ratio ex dictis est, quia quando liberè elicit actum, aut ex imperfectione cognitionis, aut ex libera determinatione voluntatis, non tam intendit se unire voluntas cum objecto amato, quàm cum elicit actum amoris necessarium erga Deum ex perfectione cognitionis, cum tunc perfectius cognoscat finem ultimū suum, in quem toto conatu, quo potest, rapitur. Neque per cognitionem imperfectam potest representari bonitas, in qua suum ultimum finem reponat voluntas, quæ tam moveat & rapiat, quàm divina bonitas per cognitionem perfectam ad amorem necessitantem representata, ut constat ex 1. Cor. 2. ubi dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que preparavit Deus iis, qui diligunt illum*; ergo in eo casu amor necessarius tum in ratione procedendi ab intrinsecò, tum in ratione intentionis, seu nobilitatis actus procedit magis perfectè in ratione voluntarii, quàm actus liber.

## SECTIO II.

### Solvuntur opposita.

62. Objic. 1. D. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 2. in corp. ait: *Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam prout scilicet apprehensio sine, aliquis potest deliberans de sine, de iis, que sunt ad finem moveri in finem, vel non moveri*: Sed quod fit cum deliberatione, est liberum; ergo in via D. Thomæ voluntarium perfectum est idem, quod liberum; ac proinde voluntarium liberum in ratione voluntarii est perfectius, quàm necessarium. Confir. 1. D. Thomas eadem quæst. & art. ad 3. ait: *Laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam rationem voluntarii*; sed laus & vituperium non consequuntur, nisi ad actus liberos: creatura enim, quæ necessario agit, vel agitur, nullam meretur laudem, aut vituperium; ergo &c. Confir. 2. D. Thomas sæpe asserit actus notionales in Deo non esse voluntarios, quia necessarii sunt; ergo ratio voluntarii non reperitur in actibus necessariis, vel saltem non reperitur æquè perfectè, ac in liberis.

63. Resp. conc. maj. in sensu D. Thomæ, apponens exemplum in voluntario non necessario ex imperfectione cognitionis, & conc. min. dist. consequens. Voluntarium perfectum ex perfectione dominii, conc. ex perfectione voluntarii neg. consequentiam. Explico distinctionem. Dupliciter potest voluntas circa objectum se ex-

ercere, nimirum vel perfectè ex perfectione dominii, quo potest actum elicere, vel omittere; vel perfectè in ratione voluntarii, prout potest cum majori, vel minori inclinatione intrinseca, & conatu actum elicere: unde si voluntas necessitata sit ex perfectione cognitionis, cum tunc eliciat actum ex majori inclinatione intrinseca, & conatu ex dictis à num. 54. se exercebit perfectius in ratione voluntarii: at cum necessitata sit, non se exercebit perfectius in ratione dominii. E contra quando esset libera ex imperfectione cognitionis, cum non ab altero, sed à se ipsa determinaretur, operaretur perfectius in ratione dominii; verum ut non determinaret cum æquali conatu, & intrinseca inclinatione, exinde non se determinaret perfectius in ratione voluntarii. Quod evidenter patet in actu amoris, quo Deus non quidem liberè, sed necessariò se amat: quomobrem nihil refert, quòd actus liber habeat perfectionem dominii, quam non habet actus necessarius, quod in eo textu intendit D. Thomas, ne ex alio capite actus necessarius sit perfectior in ratione voluntarii, quàm liber.

64. Insuper D. Thomas in eo loco citato non comparat voluntarium liberum cum necessario ex perfectione cognitionis, ut legenti constabit, sed cum necessario ex imperfectione cognitionis, prout voluntarium se extendit ad pueros, amentes, & bruta, quæ non habent cognitionem formalis finis, quam quidem habent alli, qui rationabiliter, & liberè operantur; cum autem tale voluntarium liberum non solum in ratione dominii, sed etiam in ratione voluntarii perfectius sit eo altero voluntario necessario; exinde D. Thomas vocat hoc voluntarium liberum perfectius voluntario necessario. Quinimò istud solum vocat perfectum: alterum verò non quidem perfectum, sed imperfectè voluntarium, ut constat ex verbis D. Thomæ citatis num. 12. & 28. Exinde ad primam Confir. conc. maj. & dist. min. Laus, & vituperium sequuntur voluntarium perfectum aliquod, conc. omne voluntarium perfectum, nego minor. & consequentiam. Nam licet omne voluntarium liberum sit perfectè voluntarium; at omne perfectè voluntarium non est liberum, ut à num. 7. Ad 2. Confir. dist. ant. Non esse voluntarios sumpto voluntario in propria sua significatione, de qua agimus, nego sumpto voluntario pro libero modo, quo sæpe sumitur à D. Thomæ, conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia sub nomine voluntarii juxta phrasim Scripturæ, qua sæpe utitur D. Thomas, comprehenditur liberum. Sic Jacobi 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*. Ubi ly *voluntariè* pro libero sumitur, cum Deus omnino liberè nos genuerit. Verum hæc acceptio non est illa, de qua in præsentem agimus; agimus enim de ratione voluntarii secundum conceptum metaphysicum requisitum ad voluntarium, qui quidem non solum se extendit ad liberum, sed etiam comprehendit perfectè voluntarium,

tarium, ut docet ipse D. Thomas locis supra citatus.

65. *Objic. 2.* Modus operandi liberè est perfectior modo operandi necessario: ergo voluntarium liberum perfectius est in ratione voluntarii, quam necessarium. *Prob. ant.* Modus operandi liberè convenit rationali creaturæ secundum perfectionis gradum, quo ab irrationalibus distinguitur; sed operatio ex gradu perfectionis, quo creatura rationalis ab irrationali distinguitur, est modus perfectius operandi; ergo &c. *Resp. dist. ant.* Modo operandi necessario ex imperfectione cognitionis, conc. operandi ex perfectione cognitionis, neg. ant. & consequentiam. *Ad Prob. dist. maj.* Quo distinguitur sufficienter, conc. quo unice distinguitur, nego maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia creatura rationalis non solum distinguitur ab irrationalibus ex eo, quod possit liberè operari; sed etiam ex eo, quod possit necessario Deum intuitivè visum diligere; ideoque cum ista sit maior creaturæ perfectio, exinde distinguitur ab irrationalibus per istum tamquam per perfectiorem modum operandi, & per libertatem tamquam per modum operandi minus perfectum. Sic homo quàm animal sufficienter distinguitur à lapide; at non unice, neque magis perfectè, cum distinguitur etiam, & quidem magis perfectè per prædicatum rationalis. Pariter ergo in nostro casu.

66. *Objic. 3.* Voluntarium liberum est magis ab intrinseco & ex perfectiori cognitione, quam voluntarium necessarium: ergo est magis perfectum in ratione voluntarii, quam necessarium. *Confir.* voluntas se determinans ad voluntarium liberum, se determinat à se ipsa, & à nullo alio extrinseco; quando verò se determinat ad voluntarium necessarium non quidem à se ipsa sola, sed ab extrinseco etiam determinatur; atqui operatio proveniens à voluntate ex se ipsa, & à nullo extrinseco determinata est magis ab intrinseco, & ex majore perfectione cognitionis; ergo &c.

67. *Resp. dist. ant.* aliquid voluntarium liberum, conc. omne voluntarium liberum, nego ant. & consequentiam. Ratio est, quia voluntarium liberum circa objecta creata cæteris paribus magis ab intrinseco est, & ex perfectiori cognitione, quam alia voluntaria necessaria circa objecta creata, qualia sunt, quæ reperiuntur in moribus primò primis. Unde respectivè ad ista voluntaria, voluntarium liberum est perfectius in ratione voluntarii, & ex perfectiori cognitione, quam necessarium ex num. 59. Ceterum, si comparemus voluntarium liberum cum voluntario necessario, ad quod ex perfectione cognitionis necessitatur voluntas, voluntarium liberum in hoc casu non est tam ab intrinseco, neque ex tam perfecta cognitione, quam necessarium, ut constat à num. 54. *Ad Confir. dist. maj.* Se determinat à se ipsa cum æquali semper inclinatione, conatu, & intensiōne, nego, absque æquali inclinatione, conatu, &

intensiōne, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia quando voluntas ex perfectione cognitionis necessitatur ad Deum diligendum, necessitatur ad id, ad quod ipsa sponte sua rapitur, atque ex toto sua conatu tendit. Quod non ita contingit in actu libero; ac proinde in eo casu est magis ab intrinseco voluntatis ea necessaria operatio, quam in casu indifferentiæ esset ab intrinseco operatio libera. Ex dictis

*Fit 1.* Aliquod voluntarium necessarium esse perfectius aliquo voluntario libero: pariterque aliquod voluntarium liberum esse perfectius aliquo voluntario necessario. Ratio est, quia amor beatificus necessarius perfectior est in ratione voluntarii, quam quivis alter actus voluntatis liber: tum etiam actus dilectionis Dei liber in via perfectior est in ratione voluntarii actibus necessariis in via elicitis ex imperfectione cognitionis non deregentis malitiam latentem in objecto, (ex qua ignorantia voluntas necessitatur ad illius amplexionem) quantumvis rem ipsam, ut sæpe contingit, & satis constat ex dictis: sed in hoc stat, quod aliquod voluntarium liberum sit perfectius aliquo voluntario necessario: atque similiter, quod aliquod voluntarium necessarium sit perfectius aliquo voluntario libero; ergo &c. Quamobrem voluntarium necessarium solum dicitur ex genere suo perfectius libero, quatenus inter necessaria datur aliquod voluntarium necessarium perfectius in ratione voluntarii, quocumque voluntario libero, quod inter voluntaria libera reperitur.

*Fit 2.* Actum necessarium proveniente non quidem à causa necessaria, sed à causa necessitata cæteris paribus non esse tam ab intrinseco, quam actum proveniente non solum à causa necessitata, verum etiam necessaria. Ratio est, quia actus à causa necessitata proveniens potest esse in ordine ad objectum, quod neque est finis, neque supplementum intrinseci finis talis causæ: secus autem actus proveniens à causa necessaria, ut constat ex num. 52, atqui actus proveniens à causa, quo causa in suum finem tendit, est magis ab intrinseco, ac proinde perfectior in ratione voluntarii ex præcognitione perfecta, quam actus, quo causa ex imperfectione cognitionis neque tendit in finem suum, neque in finis sui supplementum, sed vel in objectum citra vel contra ipsius finem; ergo actus proveniens à causa necessaria cæteris paribus est magis ab intrinseco, quam alter, qui non quidem à causa necessaria, sed à causa necessitata proveniat.

*Fit 3.* Inclinationem voluntatis ad aliquem actum, vel objectum, aliquando esse intrinsecam voluntati, sive innatam, & identificatam cum ipsa, nimirum quando voluntas ex natura sua appetit bonum magis, vel minus pro quantitate boni: aliquando verò esse extrinsecam, nimirum quando voluntas propendet in bonitatem ab

ab extrinseca præcipuè determinatione inclinata, v.g. ab habitu acquisito ad similes actus inclinante, vel à cogitationibus representantibus convenientiam, delectabilitatem, aut utilitatem in objecto, diminuendo vires voluntatis ad oppositum, in quod ex natura sua magis propendet: cum autem ab inclinatione voluntatis intrinseca procedat præcipuè affectiva voluntatis tendentia in objectum, hæc voluntatis inclinatio multò magis, quàm extrinseca

deservit ad augendum voluntarium. Unde si aliquando voluntas magis intensè prorumpit in actum, ad quem est necessitata, non tam conformem suæ naturali inclinationi, tunc augetur etiam per accidens ratio voluntarii, licet per se frequenter ab altera augeatur inclinatione.

\* \* \*

## DISPUTATIO IV.

### DE VOLUNTARIO IMPLICITO RATIONE IGNORANTIÆ.

71. Vix est ulla in toto isto tractatu difficultas, cujus resolutio ad eò communis sit inter Catholicos, cujusque explicatio ad eò difficilis. Constat enim ex dictis, ad voluntarium explicatum requiri & cognitionem, & affectum explicitos voluntatis; proindeque ad voluntarium implicitum requirentur & cognitio, & affectus implicitè; qui quidem alio loquendi modo dici solent ex vincibili ignorantia subsecuti, vel in effectibus virtualiter perseverantibus à præterita cognitione, & affectu descendentibus, atque frequenter cum formidine, scrupulo, aut remorsu conscientiæ. Quamobrem opus est inquirere, circa quæ possit agens rationale habere vincibilem, aut invincibilem ignorantiam, & quid ipsa præstet, ut effectus ab illa subsecuti, non modo sint in sua causa culpabiles; sed etiam in se ipsis formaliter imputabiles per liberam implicitam agentis voluntarietatem. Ignorantia autem considerari potest vel circa ea, quæ sunt juris naturæ, vel circa ea, quæ sunt contra jus non naturale, sed positivum, de quibus omnibus, ut majori, qua possimus, claritate agamus, sic

#### SECTIO I.

##### De Præquisitis ad Controversiam.

72. Supp. 1. Ignorantiam in ordine ad mores, de qua præsentè agimus, aliam esse vincibilem, aliam invincibilem; culpabilem, & inculpabilem. Ignorantia vincibilis, & culpabilis est, quæ mala fide habetur, vel propter omissionem imputabilem debitæ diligentiae in inquirenda veritate, vel propter imprudentiam, temeritatem, & inconsiderationem in judicando, vel propter animi passionem irrationabilem, cui inordinatè attenditur potius, quàm veritati, & rationi, vel

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

propter affectatam resolutionem sic judicandi contra motiva longè præponderantia in oppositum, positivè nolente homine intelligere, ut bene agat: sed sibi obcæcare oculos mentis, ut pro libito agat, prætermittit DEI, rectæque rationis lege, quæ debet esse creaturæ rationali regula operandi: & talis ignorantia circa mores dicitur error culpabilis; quamvis error in communi sumptus, prout præscindit ab errore circa, vel extra mores apud Philosophos hodie accipitur pro quolibet judicio falso. Quomodo autem distinguatur ab ignorantia strictè loquendò, constabit num. 74.

Invincibilis, & inculpabilis ignorantia est illa, quæ habetur bona fide ab homine, qui inde ex desiderio, intelligendi veritatem facit quod moraliter potest, & debet respectivè pro qualitate, nimirum operis, & operantis, ut rectè intelligat, & operetur secundum legem DEI, & nihilominus quamvis prudentialiter, hoc est, ex motivis sibi præponderantibus non imprudenter judicet, sic in rei veritate non est, quod judicat, cum potius aut sit re ipsa malum, illicitum, & contra legem directam DEI, quod ipse sic judicat bonum, aut è converso in rei veritate sit bonum, licitum, & divinæ legi conforme, quod ipse judicat malum, illicitum, & divinæ legi contrarium.

Suppono secundò. Ignorantiam (idem suo modo esto de errore) aliam esse *juris*, aliam verò *facti*. Ignorantia juris est illa, qua ignoratur aliquod jus: ignorantia facti est illa, qua ignoratur, rem, quam facis, esse eam, quam aliunde scis esse contra jus. Explicatur exemplo. Judicat homo hæc, talia verba esse ex se juratoria, aut mendacia, cum revera non sint: aut judicat non esse, cum revera sint: talis enim est ignorantia facti, seu in facto; judicat alter verba ex se esse juratoria, sive mendacia, ut revera sunt; at judicat mentiri, aut pejerare in defensionem proximi, aut pejerare in defensionem proximi,

Y y

mi,